

non enim omnis error stultitia est dicenda. Conf. Ott. Casmanni
Astrolog. Part. II. c. 9. ubi latius has objectiones persequitur,

Th. XIII.

Allegantur præterea varia S. scripturæ loca & testimonia Patrum in contrarium. Ex illis præcipua sunt Levit. XIX. v. 31. item XX. v. 6. Deuteron. XVIII. v. 10. Et potissimum huc refertur Jesai. Cap. XLVII. v. 13. ibi: *Sed defatigata es multitudine consilii tui; stent nunc & servent te observatores cælorum, spectantes stellas, divinantes in menses, ab illis, quæ venient super te.* Concordant sanctorum Patrum dicta, quorum crebras disputationes adversus Astrologos, Genethliacos, Mathematicos ac Planetarios reperire licet. Uti de Origene testatur Eusebius de præpar. Evangel. L. VI. c. 9. Et ipse Origines Homil. 3 in Jeremiam & Homil. 6. in Jos. Tertullianus in libro de Idololatr. Lactantius l. 3. Inst. divin. c. 4. Gregor. Nazianzenus Orat. 2. Ambros. L. IV. Hexam. c. 7. Epiphanius L. I. Tom. 1. heres. 16. & alii. In primis vero Augustinus graviter in illos invehitur de Doct. Christ. L. II. c. 19. 20. 21. cujus verba in nostrum institutum allegantur à Gratiano in Can. 6. caus. 26. quest. 2. ibi: *Neque illi ab hoc genere superstitionis perniciose segregandi sunt, qui olim genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgo Mathematici vocantur. Nam & ipsi quamvis veram stellarum positionem, cum quisque nascitur, consèctentur, & aliquando etiam pervestigant: Tamen quod inde conantur, vel actiones nostras, vel actionum eventa prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem.*

Loca S.
Scripturæ
& testimo-
nia Pa-
trum.

Th. XIV.

Eodem pertinent varii Conciliorum Canones, quibus etiam hæc judicia Astrologica improbantur. Ita Concilio Bracarenfi I. can. 8. dicitur: *Si quis animas & corpora humana fatalibus stellis credit asringi, sicuti Pagani & Priscilianiste dixerunt, anathema sit.* Similiter etiam Can. concilii Laodicensi vetantur in ordinem Ecclesiasticum recipi cum magis & in-

Canones
Concilio-
rum,